PROPOSITIONES THEOLOGICÆ DE ECCLESIA MILITANTE, PURGANTE, ET TRIUMPHANTE...

Vincenzo frate Gadini (frate), Cirillo frate Vergani

Digitized by Google

PROPOSITIONES
THEOLOGICÆ

DE ECCLESIA MILITANTE, PURGANTE, ET TRIUMPHANTE

QUAS PUBLICE DISPUTANDAS EXHIBET

F. VINCENTIUS GADINI

Ordinis Servorum B. M. V.

IN CONVENTU SERVORUM THEOLOGIÆ AUDITOR

Facta cuilibet poſt tertium contradicendi facultate.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1572

SENIS MDCCLXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA ALEXANDRI MUCCI

Superioribus permittentibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. DE triplici Eccleſia nempe militante, purgante, & triumphante diſputaturi, ut quid illud ſit de quo diſputatur melius explanetur, ab Eccleſiæ etymologia exordimur. Eccleſia græcum vocabulum eſt, &, ſi verbum verbo reddas, latine convocationem ſignificat. Eſt ergo Eccleſia convocatio, ſive quod omnes ad ſe vocet, ſive quod quicumque in eam conveniunt Dei gratia, & vocatione conveniant.

II. Convocatio hæc, ſeu congregatio, ſi ad eos referatur qui vivunt, quorum proinde vita militia eſt ſuper terram, ut ait Apoſtolus, Eccleſia militans, ſi ad eos qui extremum diem obierunt, & in Purgatorio detinentur; Eccleſia purgans, ſi ad eos tandem qui in Cœleſti Patria triumphant, triumphans Eccleſia nuncupatur.

III. Eccleſiæ militantis, a qua ut auſpicemur rerum ordo poſtulat, varias tradidere definitiones Hæretici tum veteres, tum recentiores. Pelagiani hominum perfectorum nullum peccatum habentium, Novatiani, & Donatiſtæ hominum circa fidem numquam lapſorum, Wiclefitæ & Huſſitæ Prædeſtinatorum, Lutherani Sanctorum, Calviniſtæ Juſtorum ſimul, & Prædeſtinatorum cœtum Eccleſiam militantem definiere. Has omnes definitiones reiicimus, eaſque una cum earum Auctoribus reprobamus.

IV. Eccleſia militans cœtus eſt hominum unius, ejuſdemque fidei Chriſtianæ profeſſione, eorumdemque Sacramentorum communione ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipue R. P. congregatus. Definitionem hanc a Bellarmino aliiſque traditam libenti animo amplectimur, quidquid Launojus dicat, cui mentio Paſtorum a quibus regitur Eccleſia, ac præcipue R. P. non parum diſplicet.

V. Hac poſita definitione cujus tres ſunt partes, ſcilicet ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſio, eorumdem Sacramentorum com-

 munio,

Digitized by Google

munio, & legitimis Paſtoribus, præcipue R. P. ſubjectio, facile colligi poteſt, qui ad Eccleſiam ſpectent, qui vero non. Primum itaque ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſio ab Eccleſia publicos Infedeles nempe Judæos, Turcas, Paganos excludit.

VI. Excludit etiam Hæreticos publicos, ac manifeſtos, illos nempe *qui* (ut ait Auguſtinus lib. 7. de Baptiſ. c. 51.) *diſruptis retibus ſunt extra domum*. Fallitur ergo Jurius qui Proteſtantium omnium cauſam agens in ſuis libris *Du ſyſteme de l' Egliſe*, *&* *de l' unité de l' Egliſe*, putat Eccleſiam univerſalem omnes Hæreticorum ſectas complecti, regnumque ita in ſe diviſum ut Satanæ potius conveniret, Chriſto tribuere non erubeſcit.

VII. Hæreticos autem occultos, & latentes, illos nempe, *qui* (ut cum eodem Auguſtino loquamur) *nondum diſruptis retibus in domo remanent*, excludit quidem ab Eccleſia quoad ipſius animam, non vero quoad corpus, ſeu quoad partem viſibilem, & exteriorem, ideoque Hæretici occulti, licet arida, & mortua, ſunt tamen Eccleſiæ membra.

VIII. Excommunicatos quorum nomine veniunt Chriſtiani, qui bonis Eccleſiæ communibus; ſuffragiis nempe, Sacrificiis, Sacramentis &c. privantur ad Eccleſiam pertinere non ſinit altera definitionis noſtræ pars, nimirum eorumdem Sacramentorum communio.

IX. At de Catechumenis quid dicendum? Catechumenos non eſſe actu, & perfecte vera Eccleſiæ membra ut pote nondum ad Sacramentorum communionem admiſſos, communis eſt Theologorum ſententia.

X. Tandem ſubjectio legitimis Paſtoribus, ac R. P. ab Eccleſia, quæ in Scripturis unum ovile, unum corpus, una ſponſa vocatur, ſchiſmaticos arcet. Et en qui juxta traditam definitionem ab Eccleſia homines excludantur.

XI. Includuntur autem in Eccleſia homines imperfecti contra Pelagianorum, & Anabaptiſtarum ſententiam: ſi enim qui aliquam imperfectionem habent in Eccleſia non eſſent, nulla fuiſſet, nulla foret, nulla futura eſſet in terris Eccleſia. *Si dixerimus* (ait Jo. 1.) *quia peccatum non habemus*, *ipſi nos ſeducimus*, *& veritas in nobis non eſt*.

XII. Imò non ſolum imperfectos homines, ſed graves etiam peccatores, & non ſolum occultos, ſed etiam manifeſtos contra

No-

Digitized by Google

Novatianorum, Donatiſtarum, & Confeſſioniſtarum errorem in Eccleſia contineri ex parabolis de area, de reti, de convivio nuptiali, de decem virginibus, aliiſque ſatis invicte demonſtratur.

XIII. Quid plura? Ex iiſdem parabolis Evangelicis, aliiſque invictiſſimis argumentis conſtat ipſoſmet reprobos ad Eccleſiam poſſe pertinere. Unde adverſus Wiclefum, Joannem Hus, Lutheranos, & Calviniſtarum nonnullos ex ſolis Prædeſtinatis Eccleſiam coaleſcere exiſtimantes, quorum doctrinam Concilium Conſtantienſe Seſs. 15. damnavit, nec omnes, nec ſolos Prædeſtinatos eſſe Eccleſiæ membra totis viribus propugnamus.

XIV. Diximus quid ſit Eccleſia; nunc qualis ſit dicamus oportet. Eccleſiam non ſemper viſibilem eſſe, ſed inviſibilem aliquando fieri, Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ, aliique Novatores non conſtanter quidem, ut immortalis Boſſuetius obſervat, ſed tamen interdum aſſerunt; cum nempe urgentur a Catholicis petentibus, ubinam erat ante Lutherum, & Calvinum ipſorum Eccleſia. Nos veram Chriſti Eccleſiam ita eſſe ex natura ſua viſibilem, ut ſemper omnium oculis conſpicua fuerit, pro aris focisque ſuſtinemus.

XV. Hanc porro viſibilitatem quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt, ac ſingularis, etiam Catholicorum ſocietatis eſſe ſingularem, ac propriam aſſerere non dubitamus.

XVI. Imò viſibilitas hæc ita Eccleſiæ noſtræ competit, ut ea nunquam defecerit, nec unquam ſit defectura.

XVII. Oſtendant nunc, ſi valent, Proteſtantes perpetuam hanc viſibilitatem ipſorum ſocietati competere. Dicant, quæſo, ubinam ante Lutherum, & Calvinum ipſorum ſocietas inveniebatur.

XVIII. Sed quid prodeſſet Eccleſiæ ſua quoad temporis durationem indefectibilitas, niſi accederet etiam indefectibilitas quoad conſtantem fidei profeſſionem? Eccleſia igitur per univerſum orbem ſparſa, ac diffuſa in fidei, & morum cauſis definiendis errare non poteſt.

XIX. Eodem inerrantiæ, ſeu infallibilitatis dono prædita eſt etiam in Conciliis generalibus congregata. Horret animus in perlegendis mendaciis, injuriis, contumeliis, quas contra Concilia generalia evomunt Lutherus, Melancton, Brentius, Kemnitius,

Digitized by Google

aliique hujus furfuris homines. Sed canes iſti latrantes deſpiciendi magis ſunt quam audiendi.

XX. Reſtat ut de militantis Eccleſiæ notis diſſeramus. Utilis ſane controverſia; nam ſi in ea cum Hæreticis conveniremus, reliquæ omnes facile componerentur. Quatuor Eccleſiae notas aſſignat Symbolum Conſtantinopolitanum, quod ſcil: una ſit, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Quatuor iſtas eſſe veras Eccleſiae Chriſti notas ſingillatim probare conabimur.

XXI. Dicimus interea fælicitatem temporalem eorum qui Eccleſiam defenderunt, & eorum qui Eccleſiam oppugnarunt infelicem exitum quae duo inter Eccleſiae notas enumerat Bellarminus, inter veras ac proprias Eccleſiae notas recenſeri non poſſe.

XXII. Reliquas tamen a Bellarmino recenſitas quae 13. ſunt, approbamus; quippequae, ipſo Bellarmino judice, ad quatuor illas Symboli Conſtantinopolitani poſſunt aliquo modo revocari.

XXIII. Primo itaque vera Chriſti Eccleſia ita eſt una, ut prorſus excludat quaslibet alias ſocietates in articulis fidei etiam non fundamentalibus errantes, & extra ipſam nequit ſalus aut expectari, aut obtineri.

XXIV. Unitatem hanc Catholicorum, non autem Proteſtantium Eccleſiae convenire ſatis manifeſte oſtendit univerſalis fidei, ac doctrinae conſenſio, ſimile ubique regimen, communio cum uno capite viſibili R. P., aliaque unitatis ſigna, quae apud primos non apud ſecundos inveniuntur.

XXV. Exprobrent nobis, quantum volunt, Proteſtantes Hæreſim in doctrina, Idololatriam in cultu, Tyrannidem in regimine; hæc falſa ſunt, & licet vera eorum ab Eccleſia ſeceſſionem juſtificare nullatenus poſſent; nemini enim licet quacumque de cauſa ab Eccleſiae unitate ſe ſe ſeparare.

XXVI. Velint igitur nolint Reformatores noſtri Schiſmatici ſunt appellandi, donec amica pace unicae Matri iterum conciliati eo, unde temere egreſſi ſunt revertantur.

XXVII. Sanctitas quae altera eſt verae Chriſti Eccleſiae nota ita Catholicorum Eccleſiae convenit, ut merito dici poſſit, ac ſit *genus electum, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Reformatoribus petentibus in quonam Catholicae Eccleſiae ſanctitas conſiſtat, reſpondemus eam potiſſimum ſitam eſſe in ſanctitate doctrinae, & profeſſionis, in ſanctitate illorum, qui eam primum fundarunt,

in

Digitized by Google

in gloria miraculorum quibus Eccleſiae ſanctitatem Deus confirmavit. Deſinant ergo Adverſarii noſtri corruptos Catholicorum mores exaggerare ad ſanctitatem Religionis evertendam, quaſi ea morum ſanctitas quam Religio praeſcribit in multitudine hominum pœne infinita, & per tot ætates queat ſemper integra ſervari.

XXVIII. Si Reformatores eandem ſanctitatem in fidei doctrina, in morum principiis, in Auctoribus prætenſae Reformationis oſtenderint, ſanctitatis notam etiam Reformationi libenti animo concedemus: ſed caveant, ne rem tam difficilem aggrediendo inanes labores abſumant.

XXIX. *Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, illud eſt vere, proprieque Catholicum*. Ita Vincentius Lyrinenſis in ſuo adverſus profanas Hæreticorum novitates commonitorio cap. 3. Catholicitas hoc ſenſu accepta vera eſt ac ſingularis Eccleſiae Chriſti nota.

XXX. Romana autem Eccleſia non Proteſtantium ſocietas præfata Catholicitatis nota inſignitur; neque enim eorum ſocietatem ſemper fuiſſe, ac ubique eſſe demonſtrare queunt Proteſtantes.

XXXI. Poſtrema verae Chriſti Eccleſiae nota eſt, ut ſit Apoſtolica. Haec nota Catholicorum Eccleſiae revera convenit tum propter originis, & doctrinae ab Apoſtolis derivatae antiquitatem, tum propter legitimam Paſtorum ſuorum miſſionem, tum denique propter eorundem Apoſtolicam ſucceſſionem.

XXXII. Prædictos Apoſtolicitatis caracteres etiam ſibi, ſuæque Eccleſiae vindicare ſtudent Proteſtantes, ſed qui in tribus aliis verae Eccleſiae notis ſibi vindicandis nequicquam inſudarunt, exitum fœliciorem in hac poſtrema ne ſperent.

XXXIII. Hactenus de illa Eccleſia, quae in terris militat, nunc de illa, quae in Purgatorio cruciatur. Purgatorium diſtinguitur tum a Beata Sanctorum Patria, in qua *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*. (Apoc. 21. 4.) tum ab Inferno, ubi reprobi *cruciabuntur nocte, ac die in ſæcula ſæculorum*. (ibidem 20. 10.) eſtque locus quidam in quo tamquam in carcere detinentur juſtorum animae donec vel a peccatis venialibus purgentur quibus infectae ex hac vita migrarunt, vel plene pro laethalibus ſatisfaciant quorum remiſſionem quoad culpam non quoad pœnam obtinuerunt.

XXXIV. Pur-

Digitized by Google

XXXIV. Purgatorium ſive exiſtat in Valle Joſaphat, ut nonnullis veteribus placuit, referente Chryſoſtomo, ſive in aere caliginoſo ubi Dœmones verſantur, ut autumat Nyſſenus, aliique; ſive intra viſcera terrae ipſi inferno vicinum, ut vulgo docent Scholaſtici, exiſtit tamen, idque Scripturarum oracula, traditio, & Theologica ratio ſuadet. Ceſſent igitur, ipſorum Magiſtro hortante, clamare Calviniani *non modo vocis, ſed gutturis ac laterum contentione Purgatorium exitiale eſſe Satanæ commentum quod Chriſti crucem evacuat.* (Calv. lib. 3. Inſtit. cap. 5. n. 6.)

XXXV. Ignem eſſe in Purgatorio palam faciunt illa Apoſtoli verba 1. Corinth. 3. *Salvus erit quaſi per ignem.* At ignis iſte eſt ne corporeus, an metaphoricus? Id nuſquam definivit Eccleſia; communis tamen Theologorum ſententia eſt verum, ac proprie dictum ignem in Purgatorio reperiri.

XXXVI. Ignoramus ſane modum quo ignis corporeus ſpirituales animas urere poſſit. Sed quid inde? Ignoramus etiam quomodo anima incorporea poſſit humano corpori uniri, & tamen hanc animae, corporiſque unionem nemo ſanus audebit inficiari.

XXXVII. Quaſdam in Purgatorio animas licet certo ſalvandas mulctari propriae ſalutis incertitudine, hancque eſſe pœnarum omnium maximam cenſent Dionyſius Carthuſianus, Michael Baii, Gerſonius, aliique. Nos vero omnes Purgatorii animas de æterna fœlicitate aſſequenda certas eſſe, probabilius exiſtimamus. Si qui contrarium ſentiunt

His ego cenſuerim vetus hoc debere reponi;
Illa tibi placeant, dum magis iſta mihi.

XXXVIII. Illud certum eſt, pro animabus in Purgatorio exiſtentibus noctem illam veniſſe, *in qua*, (ut legitur apud Joa. 9.) *nemo poteſt operari*, ſeu, ut clarius loquamur, certum eſt Purgatorii animabus nullum ſupereſſe merendi, aut demerendi locum.

XXXIX. Poſſunt tamen animae in Purgatorio degentes quippequae ſunt ejuſdem myſtici corporis nobiſcum membra, ſuffragiis, Sacrificiis, eleemoſinis, jejuniis aliiſque piis operibus plurimum juvari; quandoquidem Deus haec bona opera per ſummam miſericordiam acceptare pro mortuis non dedignatur.

XL. Ab Eccleſia militante ad Purgantem perreximus. Nunc ad Triumphantem aſcendamus. Relictis quaeſtionibus bene multis quae de triumphante Eccleſia moveri poſſent, Sanctorum dumtaxat

xat

Digitized by Google

xat cultum ab injuſtis impietatis, ac Idololatriae notis contra acerrimos noſtrae Religionis hoſtes, potiſſimum vero Proteſtantes conabimur vindicare.

XLI. Triplex vulgo diſtingui ſolet a Theologis cultus: unus Latriae, qui ſoli Deo debetur in ſummae ipſius majeſtatis, ac ſupremi in res univerſas dominii teſtimonium; alter Duliae qui Dei ſervis redditur propter ſupernaturales dotes, quas Deus ipſis largiri dignatus eſt; tertius demum Hiperduliae, qui licet ejuſdem generis ſit, ac Dulia, eſt tamen ordinis ſuperioris propter ſpecialem illius cui rependitur excellentiam; hujuſmodi eſt cultus qui B. Virgini tum propter eximiam divinae maternitatis dignitatem tum propter ſpecialia dona, quae inde in eam ſunt derivata, exhibetur.

XLII. Principio itaque Angeli, & Sancti in Cœlis una cum Chriſto regnantes non tantum orant in genere pro Eccleſia militante, ſed etiam in ſpecie pro pluribus illius membris; quidquid effutiant Petrobuſiani, Waldenſes, Wicleſitae, ac praecipue Lutherani, & Calviniſtae.

XLIII. Porro ſi Sancti in Cœlis regnantes pro hominibus in terra degentibus orant, cur non licebit hominibus ipſos invocare?

XLIV. Licita procul dubio eſt, imo utilis etiam, ac pia, quemadmodum fuit a Concilio Tridentino definitum, ſupplex invocatio Sanctorum *qui* (ut ait Cyprianus lib. de mort.) *jam de ſua incolumitate ſecuri ſunt de noſtra ſalute ſolliciti*.

XLV. Non ita tamen ſumus Scripturarum ignari, ut arbitremur, quemadmodum ſibi fingit Molinaeus, nos aliquo divino prœcepto, ac mandato ad Sanctorum invocationem obligari.

XLVI. Obſtrepant licet Novatores, Religioſum cultum qui Sanctis a Catholicis exhibetur, non ſecus ac eorum invocationem, licitum eſſe, utilem, ac pium omni contentione defendimus.

XLVII. Caveant tamen, ne hanc ob cauſam nos veluti Idololatriae reos traducant Novatores; ſiquidem Religioſus cultus, quem Sanctis exhiberi poſſe defendimus, Duliae cultus eſt, non Latriae.

XLVIII. Licitus eſt etiam, ac pius antiquiſſimus uſus qui ab ipſis Eccleſiae incunabulis viguit dies Feſtos inſtituendi tum in Deiparae, tum in Sanctorum honorem, nec quidquam Deo derogare

rogare

Digitized by Google

rogare exiſtimandus eſt, ut contendunt Haeretici, qui Sanctorum dies Feſtos veneratur, & colit.

XLIX. Poſſunt quoque licite, ac pie nonnulla vota, ſi tamen voti nomen late, hoc eſt pro qualibet promiſſione accipiatur Sanctis nuncupari. Mirum eſt qua impudenti loquacitate Eraſmus in colloquio quod inſcribitur *Naufragium* irrideat vota, quae Sanctis nuncupantur. Utrum id faciat ludendi conſilio, an ex animi ſententia ipſe viderit. Certe in re ſacra ludere nimis profanum eſt.

L. Nunc aliqua dicenda ſunt de Imaginibus. Nemo neſcit extinctam Iconoclaſtarum haereſim rurſum e cineribus excitaſſe ſœculo 12. Albigenſes; 14. Wiclefitas, 16. Lutheranos, & Calviniſtas, qui mira audacia in Sanctorum imagines debaccari non deſinunt. Nos contra hos omnes licitum eſſe, nullaque ſuperſtitionis, & Idololatriae labe infectum religioſum cultum, quem Catholici Tridentini Concilii monitis ſedulo inhaerentes Sanctorum imaginibus deferunt, propugnamus.

LI. Si Sanctorum imagines poſſunt merito ac rite a Fidelibus coli, quis amplius in dubium revocare poterit, utrum eas pingere, & ſculpere, & in templis liceat collocare?

LII. Idemne de Imaginibus Dei, Angelorumque dicendum? Licitum ſane eſt in novo Teſtamento Dei imaginem, & figuram effingere, non quidem ut ipſius repraeſentetur natura, ſed ut exhibeantur dumtaxat ſenſibiles formae ſub quibus interdum hominibus apparere dignatus eſt, utque ſenſibilis imagini opes ad inſenſibilis Dei notitiam evehamur.

LIII. Licitum pariter eſt Angelos imaginibus exprimere, quae ipſorum proprietates, aut apparitiones nobis valeant repraeſentare.

LIV. Pius quoque, & maxime laudabilis eſt uſus Crucis imagines in verae Crucis repraeſentationem effingendi, eaſque colendi.

LV. Multo magis colendum eſt, ac adorandum verae Crucis lignum, de quo cecinit Sybilla:

O lignum fœlix in quo Deus ipſe pependit.

LVI. Hic tamen cultus, haec adoratio, ut nobis probabilius videtur, ad Latriam pertinere non debet.

LVII. Signum vero Crucis vel in fronte, vel in aere, vel ſuper quaſcumque res digito efformatum, quodque tranſiens dici

ſo-

Digitized by Google

/99

ſolet a primis Eccleſiae ſœculis in uſu fuiſſe, certiſſimis evincitur monumentis. Eant nunc recentiores Hæterodoxi qui nuſquam ſignum Crucis adhibent, & jactent, ut faciunt, ſe doctrinam, ac mores purioris Eccleſiae adamuſſim ſervare.

LVIII. Ceſſent quoque Catholicos qui Crucis ſigno utuntur ſuperſtitionis inſimulare; utuntur enim hoc venerando ſigno & ut Chriſti paſſionem in memoriam revocent, & ut teſtentur ſe fiduciam omnem in Chriſti cruce collocare, demum ut ſignificent ſe Chriſtum ejuſque crucem non erubeſcere.

LIX. Quod de Imaginibus, idem etiam de Reliquiis ſentiendum eſſe putamus. Nullum eſt ſpeciale mandatum quo prohibeatur, nullum quo praecipiatur Reliquiarum cultus; tamen hujuſmodi cultus dumodom ſit oderatus velut pius ac utilis eſt proponendus.

LX. At in Imaginum, & Reliquiarum cultum immanes irrepſerunt abuſus, clamant non modo Proteſtantes ſed plerique etiam inter Catholicos. Id magno animi noſtri dolore fatemur & nos. Sed quid inde? Nemo ignorat nihil eſſe tam bonum, & utile quo humana perverſitas, aut ignorantia non abutatur. Abuſus ergo ſunt eradicandi, non cultus cum Proteſtantibus auferendus. Faxit Deus optimus maximus ut omnes controverſiae inter nos, & Proteſtantes tandem aliquando componantur. *Volumus pacem, & non ſolum volumus ſed etiam rogamus, ſed pacem Chriſti, pacem veram, pacem ſine inimicitiis, pacem in qua non ſit bellum involutum, pacem quæ non ut Adverſarios ſubjiciat, ſed ut amicos jungat* (Hier. epiſ. ad Theoph. contra errores Jo. Hieroſ.)

Diſputabuntur publice Senis in Eccleſia Servorum Anno 1786.
Menſe die hora

Diſputationi præerit F. CYRILLUS VERGANI
in Conventu Servorum Theologiæ Lector, ac Studiorum Regens.

SS 833552

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google